



**Quæstionum Canonicarum, In Quinque Libros  
Decretalium, Tomus ...**

In Librum II. Decretalium, Per Triginta Titulos Distributum, In Quo Agitur  
De Judiciis, Foro Competenti, Libelli Oblatione, Mutuis petitionibus, ...

**Krimer, Ferdinand**

**Augustæ Vindelicorum, 1708**

§. VII. An Sodomia sit mixti fori?

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73001](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73001)



tur circa materiam, de qua merito lex condi posset; si nulla extitit; vel certè bono communi, saltem æquè utilis sit, ac lex præexistens, si ei contrarietur) id quod nunquam habere potest ulla consuetudo, quæ laborat vitio intrinseco ex objecto, qualis ea est, de qua num. præced. Sed de hoc plura *lib. 1. tit. 4. de Consuetud.* Ex dict. tandem concludi potest, an, & quo sensu causæ ultimarum voluntatum sint mixti fori?

## §. VII.

*An Sodomia sit mixti fori?*

435. **D**E hac materia agitur in corpore iuris Ecclesiastici, c. *Clerici*, 4. de *excessibus Prælatorum*, ibi: *quicumque illà incontinentià, quæ contra naturam est* (propter quam ira Dei venit in filios diffidentis, & quinque civitates igne consumpsit) *deprehensi fuerint laborare, si Clerici fuerint, dejiciantur à Clero, vel ad agendam pœnitentiã in Monasterijs detrudantur: Si Laici excommunicationi subdantur, & à cœtus fidelium fiant penitus alieni.* Ex quo colligitur, hoc crimen esse fori Ecclesiastici; non tamen solius, sed etiam secularis; cum de illo etiam in eo jure habeatur peculiaris constitutio, *L. 31. C. ad leg. Jul. de adulter.* ibi: *cum Vir nubit, in fœminam Viris porrecturam, quid cupiatur, ubi sexus perdidit locum?* id est, ut notat glossa, ubi nulla habetur ratio sexus à Deo distincti? jubemus insurgere leges, amari jura gladio ultore, ut exquisitis pœnis subdantur infames, qui sunt, vel futuri sunt Rei.

436. Circa prædicta jura not. 1. ea loqui de Sodomia perfecta, quam apud Pereyram in *Elucidar. num. 1511. definit* S. Thomas 2. 2. q. 154. a. 11. quòd sit *coitus inter duos non servato sexu debito*: ac proinde committitur per concubitum, masculicum masculo, aut fœminæ cum fœmina. Not. 2. contra hoc vitium extare specialem constitutionem Pij V. incip. *Horrendum scelus*, per quam omni Privilegio Clericali, Officio, Beneficio, & dignitate privati degradantur, ac brachio seculari traduntur; & refertur à Barbosa de *Offic. & potest. Episcopi p. 2. allegat. 46. num. 21.* quam tamen pertinere ad forum

exteriori, & in foro conscientis non esse usum receptum, tradunt Filliuc. de *casib. reserv. p. 2. c. 7. §. 1. n. 8.* Avila de *Censur. p. 7. D. 4. d. 7. conclus. 7.* & alij; & intelligi volunt de illam *exercentibus* (hoc est, qui usu frequenti hoc vitium committunt) Fr. Emmanuel *qq. regular. to. 1. q. 30. a. 19.* Sayrus de *Censur. l. 7. c. 12. num. 23.* & alij; nec nisi hoc sit notorium; sic Ugolinus de *irregular. c. 43. num. 4.* & ad pœnas in eo decreto contentas exigi sententiam Judicis, ita, ut ante illam Clerici eas non incurrant in foro conscientis; sic Filliucius *tom. 1. quest. moral. tr. 17. n. 127.* & alij. Illud ad extremum nota ex Haunold. *tom. 5. de Jure, & Justitia, tr. 1. num. 339.* quamvis particula *exercentes* rectè sumatur in eo sensu, quo præmissum est; & apud eundem tēstetur Navarrus, Pium V. sic ore tenus declarasse; quia tamen in alijs constitutionibus habetur: *perpetrantes*, Martam cum alijs arbitrari, ad incurrendas eas pœnas, sufficere unum actum.

## §. VIII.

*An Usura sit crimen mixti fori?*

437. **L**oquimur de Usura, dux non tantum jure Canonico, sed etiam civili prohibita est. Nam eo sensu, quo jure civili permittitur, non esse vitiosam, sustinet Haunold. *cit. tom. 3. tr. 9. à num. 382.* & quamvis Baldus *L. quoties C. de Judicis*, cum alijs Antiquioribus existimaverit, *Usuram* esse crimen solius fori Ecclesiastici (quod jure civili permittitur) quia tamen non in quolibet sensu, etiam hoc jure admittitur, sed prohibetur, ut constat ex Novella 131. idèd communi tenet, esse crimen utriusquè, consequenter mixti fori. Verba Novellæ sunt: *Sancimus igitur, vicem legum obtinere Sanctas Ecclesiasticas regulas, quæ à Sanctis 4. Concilijs exposita sunt, aut firmata.* hoc est, in Nicæna Trecentorum decem, & octo; & in Constantinopolitana Sanctorum 150. Patrum; & in Ephesinâ prima, in qua Nestorius est damnatus; & in Chalcedonia, in qua Eutiches cum Nestorio anathematizatus est. Prædictarum enim quatuor Synodorum dogmata, sicut Sanctas Scripturas accipimus